



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Cogitationes, Sive Considerationes Christianae Pro singulis Anni diebus**

Complectens Aprilem, Majum, Junium

**Nepveu, François**

**Monachii, 1709**

Dies 5. De cordis divisione.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60514](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60514)

☉☉:☉☉☉☉:☉☉:☉☉☉☉:☉☉☉☉ Aprilis.

## DIES V.

## De cordis divisione.

## I.

**C**OR nostrum Deum inter, & Creaturas partiri res iniqua est. Deus enim illud soli sibi formavit; solus id pretioso filij sui sanguine redemit. æquum proinde est, ut solus id possideat: is non dimidium solummodò cordis nostri, sed totum, & integrum exigit; igitur ei totum non donare, idem est, ac nihil penitus ei donare.

Is non tantum præcipit, ut se amemus, sed ut corde nostro amemus. non tantum nos obligat ad sibi serviendum, sed sibi soli serviendum. Cor nostrum tantillum est, cum Deus tantus sit; an nimium esse credis, si totum ei des? immensus cum sit, an non omnem ejus capacitatem replere potest? se totum tibi cum det, an nimium esse putas, si totum te ipsi dederis? *Væ duplici corde,* inquit Spiritus sanctus. An non & tu hujus maledictionis es particeps? tu, qui cor tuum Deum inter, & Creaturas partiri cupis?

*Præbe fili  
cor tuum  
mihi.*

*Prov. 23.  
v. 26.*

*Eccl. 2. 14.*

II. Hæc divisio Deo injuriosa est. Nimum honoris Mundo tribuimus, si eum  
Deo

Aprilis.

Isai 46. 5.

Deo comparemus, & cor nostrum Mundum inter, & Deum partiri velimus: & verò Mundus huic partitioni lubens acquiescit: Verùm hujusmodi competitorem Deo jungere, est ei ignominiam creare, & injuriam inferre; *cuj me assimilastis?* cum indignatione ait: si mei penitus fuissetis obliti, minùs graviter ferrem. Tessera militaris veri Christiani esse debet illud Principis Angelorum fidelium: *quis ut Deus?* quis est, qui audeat cor meum sibi asserere, vel id inter Deum, & se partiri? an credimus, solum Deum illud satiare non posse? cur igitur opem à Creaturis mendicamus? Deus solus felicitatem numeris omnibus absolutam sanctis Cœlorum incolis per totam æternitatem affert; & eam durante hac vita nobis asserere non poterit? ipse sibi sufficit, seque supremè beatum reddit; & nobis non sufficiet, nec reddere nos beatos poterit? nimium avarus, vel potius cæcus est, *cuj Deus non sufficit.*

III. Hæc divisio impossibilis est: *Nemo potest duobus Dominis servire*, inquit Servator; si honorat, & amat unum, alterum certissimè contemnet, & odio ab eo dissidebit; præsertim, si duo isti Domini ita inter se contrarij sint, ut Christus, & mundus. Nam eorum studia, commoda, &

pro-

propensiones adeò inter se dissident, ut con- Aprilis.  
ciliari neutiquam possint : quæ societas,  
inquit Apostolus, *Luci ad tenebras ? quæ  
autem conventio Christi ad Belial*, hoc est,  
Mundum ? Deus unicum nostrum princi-  
pium est, & idcirco unicus noster finis esse  
debet. Omnis via, quæ ad hunc nos ter-  
minum non perducit, nos haud promovet,  
sed à recto tramite abducit, & retrò pellit.  
Dei non totum esse, est Dei penitus non  
esse. Qui aliquid tecum amat, Domine,  
quod propter te non amat, inquit S. Au-  
gustinus, non te amat ut debet. Christus  
Dominus quidè eò usque se demittere dig-  
natur, ut amicus noster esse velit, sed unicus  
esse cupit; alium verò præter ipsum habere  
velle, est inimicum ipsius esse velle ; ut-  
rum desiderare mavis, Christum tibi ami-  
cum, an inimicum ? si mundus amicus tuus  
est, Christus inimicus tuus erit.

*Scrutare non nihil cor tuum ; ut id examines,  
an divisum non sit ? & statue, quocunque de-  
mum pretio, quidquid partiri illud potest, inde  
extirpare.*

Vir duplex animo inconstans est in om-  
nibus vijs suis. *Epist. Iac. c. 1. 8.*

Non vult Christus communionem ; sed  
solus vult possidere, quod emit ; tanti emit,  
ut solus possideat, tu consortem ei facis dia-  
bolum. *Aug.*

B

DIES